

H. J. r. 22.
IN AUGUSTISSIMAS
SERENISSIMI
DELPHINI
NUPTIAS,
CARMINA,
IN SCHOLA RHETORICES
SCRIPTA,

Et à selectis Rhetorices Alumnis recitata,
Die secundâ mensis Martii, an. 1747.

CARMINUM ARGUMENTA

Proposita fuerant à P. JOAN. BAPT. GEOFFROY,
Rhetorices Professore,

IN REGIO LUDOVICI MAGNI COLLEGIO
SOCIETATIS JESU.



PARISIIS,
Apud THIBOUST, REGIS Typographum,
in Plateâ Cameracensi.

M. DCCXLVII.
CUM PERMISSU.




IN AUGUSTISSIMAS
SERENISSIMI
DELPHINI

NUPTIAS,
CARMINA,
IN SCHOLA RHETORICES
SCRIPTA.

Et à selectis Rhetorices Alumnis recitata,
Die secundâ mensis Martii, an. 1747.

CARMINUM ARGUMENTA
Proposita fuerunt à P. Joan. Bapt. GEORGEY,
Rhetorices Professore,

IN REGIO LUDOVICI MAGNI COLLEGIO
SOCIETATIS JESU.



PARISIIS,
Apud THIBOUT, REGIS Typographum,
in Placâ Cameracensi.

M. DCCXLVII.
CUM PERMISSU.



INVITATIO HYMENÆI AD MUSAS.

REGALI de Stirpe genus, Stirpisque superbum,
Fata finant, auctura decus, cum Flore pro-
pinquo

Juncta recens, disjuncta citò, deflendaque
dudum,

Occiderat Terris, victura THERESIA Cælo;

Atque juventutis primo sub Vere perempta

Auroram vitæ ferali involverat umbrâ.

Flebat Iber donum, spem suspirabat ademptam

Sequana : mœsta suos Aula exposcebat amores,

Gratia multa suum, Virtus & multa nitorem;

Non unum & Stirpis lacrymans in Flore vel uno

Exitium, multum ducebat GALLIA funus.

Urnâ agitans dextrâ, nudatus tempora myrto,

Tempora funereâ velatus mœsta cupressu,

Inversamque gerens extincto lumine tœdam,

Lugebat revolutus Hymen : color excidit omnis,

Gratia frontis abest, fœdat mors plurima vultum.

Non Risus, comitesque Joci, terram alite plantâ

Hunc quatiunt circum, & manibus per mutua nexis,

Festivas agitant plectro modulante choreas,
 Filaque dulcisonâ pulsantes tinnula dextrâ
 Argutam argutâ cytharam cum voce maritant.
 Circumstant Curæ infomnes, atrataque Luctus
 Turba & funerei discissâ veste Dolores,
 Triste satellitium! Mors importuna gementis
 Assistit lateri, truculentam & cæde recentem
 Erigit ostentans falcem, Regumque per umbras
 Regnatrix sedet, & Tumuli se jactat in aulâ;
 Sceptrum tæda, cinis Solium est, Diadema cupressus,
 Plebs Manes, comites Animæ, Luctusque Ministri.

Hæc animo volvens irritamenta dolorum,
 Dum suspirat Hymen, tumuloque sub hospite mœret,
 Ecce volat tenues prænuncia Fama per auras
 Grande sonans, faustumque tubâ clangente fragorem
 Circumquaque ciens, spargit lætabile murmur.
 Olli penna micat stellatâ luce colorum,
 Gemmea scintillat radiato vertice crista,
 Concolor est auro vestis, frons ardet ab igne,
 Et volucrem spargunt oculi, duo fulgura, flammam.
 Consocianda utinam pacali Laurus Olivæ,
 Mixta maritali serpit per tempora Myrtho.
 Scutum læva tenet, cujus descripta per orbem
 Inclyta SAXONICÆ visuntur stemmata Gentis.
 Scutum BORBONIO manus altera Floræ coronat,
 Atque novum spargit niveo candore nitorem.
 Ut Famam resonante tubâ tam fausta canentem,

Audiit, ut Regum gestantem insignia dextrâ
 Conspexit redivivus Hymen; largo imbre madentes
 Attollitque oculos, & pignore lætus utroque
 Gaudia præcipiens, alios meditatur amores.
 Agnoscit Scuti decus immortale, neque illum
 Territat expansis Ales Germanica pennis;
 Nam licet Austriaco deducta superbiat ortu,
 Non ciet hostili minitania murmura rostro,
 Blanda sed in Solem nostro super Orbe micantem
 Lumina contendens, radios deposcit amico
 Intuitu, infusosque oculis spontè accipit ignes.
 Ille etiam niveas scuti benè ducta per oras
 Lilia miratur, quorum de cortice surgunt
 Sceptra, coronato Diademata vertice fulgent,
 Umbraque regnandum sese diffundit in Orbem.

Hæc ubi conspexit nexu focianda jugali,
 Accendit gelido extinctam sub marmore tædam;
 Nec mora Versalicas properans contendit ad arces.
 Hîc ubi Regifico splendescere cuncta paratu,
 Aspexitque novos pompæ genialis honores,
 Plaudit Hymen, residesque vocans in carmina Musas,
 Huc, ait, ô sacri vocalia Numina Pindi;
 Omnimodas cum voce fides aptate, sonanti
 Pecten eat cytharâ, chordâque exultet in omni.
 Est gemina est vobis proles celebranda Deorum
 Prolem habitura Deos; Charitûm agmen, & agmen
 Amorum,

Non precor huc properet ; famulos nam Sponsus Amo-
res

Secum habet , & Charites Sponsæ famulantur in Aulâ
Amborum hærebit lateri comitatus uterque.

Dixerat , Aonium circà tremere omnia montem
Visa jubente Deo , properat Chorus omnis ad arma ,
Phœbeosque vocat pulchrum ad certamen Alumnos.

AN. JOAN. AUG. RULHIÈRE,
Rhetor Novus.





MUSA ELEGIÆ PRÆSES AD HYMENÆUM.

QUÆ modò per densas tumuli lux fusa tenebras
 Noctis in Imperio spargere visa diem.
 Dum mea luctifono rumpuntur pectora planctu,
 Quæ mihi vox hilares suadet inire fonos.
 Nata inter lacrymas, lacrymis sum nata ciendis
 Guttur idem, an luctum, lætitiâque, sonet?
 Cerne sepulchrales quibus incubo flebilis, umbras
 Nox nulla hîc placida est, nulla serena dies
 Lugendum triplex, mihi Principe funus in unâ;
 BORBONIA hîc Proles, Sponsa, Paresque, jacet.
 Hanc simul, atque suos Hispania flevit amores
 Hanc quoque, spesque simul, Gallia mœsta suas.
 Gaudia conveniunt Mytho, lamenta Cupresso;
 Unum nec cingat ramus uterque caput.
 Ex quo felices, quas hæc vivendo bearat,
 Mutavit terras, ipsa beanda polo.
 Discere nec cantus, nec fas dediscere luctus,
 Et mea vox modulis, & lyra voce caret.
 Vel revoca extinctam, similem vel redde Puellam
 Quæ redimat duræ damna cruenta necis.
 Fallor, an illa mihi sese objicit? ipsa, vel una
 De numero Charitum est; imò, nec una Charis.

Cognata his possit , possitque aliena videri

Illas quod vincat , quodque imitetur habet

Par nitor est formæ , dispar sed forma nitoris ,

Tam placet illecebrâ , plus gravitate placet.

Agnosco qualem , sperare nec ausa , petebam ;

Talis erat damnis debita Virgo mæis.

Majestas in fronte sedet , Clementia vultum

Exhilarat , populos hæc vocat , illa regit,

Cedite ferales redivivâ ex fronte Cupressi

Atra renascentes ne premat umbra rosas.

Myrthea Liligero rursùm comes addita Flori

Cingat honoratum ritè corona , caput.

Exuo lugubres , mœroris stemmata , cultus

Lætitiæ interpret , quæ modo cladis eram.

Sequana nunc volvens duplici sub sidere fluctus

Spargat blandifonâ littora lætus aquâ.

Quò devolvit aquas , illic spes Gallica regnat ,

Quò devolvit aquas , Gallica vota ferat.

At vos immites fervate silentia , Venti ,

Inficiat puros , nulla procella dies.

Rumpite purpurei telluris viscera flores ,

Quas DELPHINA tenet sternite fronde vias.

Totque rosas premat illa gradu , quot in ore renident ;

Pressa pede , in plures luxuriabit humus.

JOAN. BAPT. LAMBERT,

Rhetor Veteranus.



GALLIA AD MUSAM PICTURÆ PRÆSIDEM.

EXERE peniculum, lectos Dea prome colores
Ars & quidquid habet, quidquid & artis
habes :

Instat opus palmare tibi, par nobile Divum,
Quos modò duxit Amor, quos modò junxit
Hymen,

Scire juvat quo tela tibi saturanda colore est ?

Confule qui Sponso sanguis utrique fluat.

Lilia qui pingit niveus vernantia candor,

Hunc animo ut Sponsus colligit, ore ferat

Quem rosa Vere novo ducit rubicunda colorem,

Hunc Sponfa, ut studiis exprimit, ore gerat,

Sitque viri facies, quæ Majestatis habetur,

Infitus exhilârat, quam tamen usque lepor

Forma sit Uxori, sibi quam velit ipsa Venustas,

Forma sit, & Gravitas quam velit esse sibi :

Majestas in utroque nitens, in utroque Venustas

Alternet dignas, utraque digna, vices.

Adde triumphales Sponsi per tempora Lauros

Quas Pater & Patri meffuit ipse comes;

Ne metue & Laurus cingentia Lilia vultus

Fronde premat ; tali Lilia fronde nitent :

Pacalis Sponsæ per tempora serpat Oliva

Quam Pater & similis diligit illa Patri;

Ne metue & Lauro vicina hæc fordeat arbor;

Hanc propter, Lauros Lilia namque volunt,

Nil hæc Regalis patitur vulgare tabella,

Ut par sit Sponsis, non ferat illa parem.

Hoc opus ipsa tuum si fors spectabis, Amantes

Credo equidem intuitus pascet imago tibi

Post opus ipsa tuum, si fors spectabis utrumque

Peniculum franget victa dolore manus.

Hos tua, credo equidem, qualis nec Sponsus in Orbe

Qualis nec Sponsa est, fida tabella feret;

Hosque ferens, ut Sponsa neque est, neque Sponsus in
Orbe

Non tamen ut fuerint, fida tabella dabit;

Sit modo dent Superi, Patrisque & Matris imago,

Natus utroque brevi, dignus utroque Puer.

Patrem si referat, Virtus hunc poscet alumnum;

Si referat Matrem, Gratia finget amans;

Ambos si referat, nullum Puer iste Puellum;

Par utrique, parem cernet in Orbe sibi.

ANT. HEMART,

Rhetor Veteranus.





MUSA HISTORIÆ PRÆSES
AD SCULPTURAM.

DUM nova jungit Hymen Regali fœdera nexu ,
Vestra sit , ô Musæ , deducere pectine Risus
Flore coronatos , plectro modulante sequaces
Sollicitare choros , Sponsis & tempora circum
Nectere tot flores , utroque hoc Sidere læta
Quot modo fundet humus , vel quot **LODOICUS** ,
in arvis
Flandrigenum , Lauros attexuit ipse coronæ.
Tu quæ facta Ducum vivaci in marmore ducens ,
Das iterum ut spirent , nec desit vita sepultis ;
Huc mihi, Musa comes , geniale inscribe Trophæum
Nominibus magnis , Ætas quæ prisca sacrauit ,
Nostra canit , ventura colet , mirabitur omnis ,
Patrum & virtutes doti superadde Nepotum.

Efferat hinc sese memori redivivus in ære
Quantus erat **DODOIX** , phario cum littore pugna ,
Jura dedit Victor , sprexit Diademata victus ,
Dux , Pater , Exemplum Regum , Rex ipse superbo
Insignis titulo , meliori nomine Sanctus :

Æra illum referant , Populi ut vidère , Parentem
In Solio , Heroem in pugnīs , in Carcere Regem.

Proximus hunc , longo sed proximus intervallo ,
Stet juxtà HENRICUS , Sceptri quæsitōr Aviti
Et Victōr nolens Populi , & nolentis amator.
Hæresis hunc circumest , nascentem suscipit altrix ;
Infantem excæcat , Puerum regit , urget Adultum ,
Mittit in arma Virum , Regnante attrita fatiscit.

Astet justitiæ nomen LODOICUS amatum ;
Hic regat æquato geminas examine lances
Juris amans , veri cultor , magnique Parentis
Progenies , magnæque Parens , utrique secundus :
Hunc juxtà emineat LODOIX cognomine Magnus ,
Qui vitam exorsus Regno , Regnumque Triumphis ,
Ipse puer , Rex ipse simul , simul extitit Heros ;
Sortem utramque tulit , flantis bona , tela reflantis ,
Major utrâ dubium est , neutri impar , magnus utrâque ;
Assidet hunc circùm Proles numerosa Parentem ,
Cingit Avum simul hunc series numerosa Nepotum ;
Mox sine Prole Parens , Avus absque Nepotibus , omnes
Rex Atavus Puero succrescere vidit in uno.

Ille domûs inter feralia busta , gravatum
Funeribus caput attollens , de Gente superstes
Unicus ipse omni , complectitur unicus omnem ,
Et Regum seriem egregiam Rex pectore versat :
Hunc honor in Solio , Victoria cingit in armis ,
Majestas Regem , Heroem Bellona , Patronum

Relligio , Plebs læta Patrem , decus Aula veretur ;
 Nomina tanta inter , quod plus arridet amanti ,
 Ponit amor nomen , partitur & alter ab illo
 DELPHINUS , jam nunc LODOIX . Lucemque paternam
 Dum recipit , propriâ sese ipsum luce coronat :

Quæ Matrem dederat , cognata POLONIA rursùm ,
 Olli dat Sponsam , Heroum de stirpe Puellam ,
 Et mox Heroum , patiantur Fata , Parentem .
 Hanc circum triplici FREDERICUS stemmate triplex
 Exerat in memori redivivos marmore vultus ,
 Et signet proprio se per sua facta colore .

* Hic per adorantes Populos oracula fundens
 Quæ magnæ inspirat custos Sapienria menti ,
 Cæsarei spretor decoris , spretoque superbus ,
 Incedat Rex usque sui , Pater usque suorum .

Plebis amans , & Plebis amor , propè * Filius astat ,
 Sedula cui Puero nutrix , Juvenique magistra ,
 Cara Viro , comes usque Duci , Pax nectat Olivam ;
 Quam propè , Martis amans avulsam à fronte paternâ
 Dilaceret * Natus , bellicque ferocior usu
 Fulmineas Aquilas pavidum deducat in Orbem ,
 Enumeret pugnisque dies , pugnasque Triumphis ;

Sed nova SAXONICA quæ lux Regione coruscans
 Hærede AUGUSTO glomeratas discutit umbras ?

* Fredericus I , cognomine Sapiens .

* Fredericus II , cognomine Pacificus .

* Fredericus III , cognomine Victor .

Illius in sancto jam stemmate , Musa , Triumphum
 Inscribe hunc fidei ; Solium , Araque , lege sub unâ
 Hoc duce confurgunt , hos Proles digna Parente
 Filius instaurat nexus , AUGUSTUS & alter
 Est decus Imperii , decus ipse reposcit ab Aris ,
 Impenditque simul , Frater dum Gallica gestans
 Fulmina , felici , Mars alter , Marte triumphat.
 Aspiciat ? Trepidant Acies. Tonet ? Oppida nutant :
 Agmina, stante, pavent; fugiunt, properante; salutem,
 Hoc miserante , ferunt , hoc percutiente , ruinam.

Hæc inter geminæ decora immortalia Gentis
 Dum Sponsus , dum Sponsa oculos intendet amantes ,
 Ambo decus Patrium versantes pectore , Gentem
 Teste animo meliùs , quam scuto interprete discent.

JOAN. BAPT. CORIAL.

Rhetor Novus.



* Friedrichs I. cognomine Sapientis.
 * Friedrichs II. cognomine Pacificus.
 * Friedrichs III. cognomine Virens.

MUSA FUTURORUM
PRÆSCIA.

REGALEM Sponsam Charites dum floribus ornant,
Regalem Sponsum celebrant dum carmine Musæ,
Et Diva Uxori nectit non una corollas,
Concentus & Diva iterat non una Marito,
Dum simul hec Rîsus geniali flore revincit,
Dum simul illa Jocos deducit voce magistrâ;
Ipse ego fatiferâ latitantes intûs in urnâ
Quæsitura vices, rebus sacra templa futuris
Ingredior, quam spondet Hymen, interrogo sortem.
Vix oculis parvum aditus; solium ecce repente
Objicitur, florent hoc circum Lilia, Laurus
Plurima confurgit, sese que exertat Oliva,
Lucis amans, luci at nondum matura ferendæ,
Rivalem & Lauri late exspatiantis ad umbram
Vix timidum ostentans folii adrepentis honorem.

Dum Laurum aspicio mirator, amator Olivam,
Tertia nascentes geminam inter pandere ramos
Arbor visa mihi; vernis ornata nitentes
Floribus illa comas, subtilique igne renidens;
Quem circum volitans exfuscitat agmen Amorum;
Ventilat hunc genialis Hymen; flammam que volucrem
Adjicit, hæc blando frondes innoxia tactu
Lambit, adulanti similis; radiis que subactis
Summum apicem, veluti nascens aurora, colorat.

Myrtus erat, Lauri comes, & pacalis Olivæ.
 Has simul atque illam visus conjungere nexus,
 Colligere & socias sub amico fœdere frondes.
 Vix caput eduxit Myrthus nova; regius illam
 Flos sibi deposcit subito; nivei que superba
 Judicio Floris; sese olli mancipat Arbor.
 Nec mora; odoratum solii diffundit honorem,
 Et Floris regale caput complectitur umbrâ.
 Hujus ad aspectum Malus se punica flectit;
 Atque coronatas gremio de divite fundens
 Læta ostentat opes; Florem de se illa creatum
 Ardet BORBONIO socium conjungere Flori.
 Hæc ego inexploto dum lumine singula lustrans
 Aspicio; rerum ecce novus mihi panditur ordo;
 Fundit terra novas Gallo sub fidere lauros,
 Radice ex ipsa Laurorum exsurgit Oliva,
 Liliolum has inter prodit; Floremque tenellum,
 Fulgore accendens famulo, flos plurimus ambit;
 Infundit patrium sol Gallicus ipse nitorem.
 Mille pharetrati properant cunabula circum
 Et certant, Floris cunas quis verset, Amores;
 Nascentem Pax nata simul gremio excipit, ulnis
 Stringit amans, molli que fovet studiosa flabello,
 Et roseis nectit sibi Pignus amabile vinclis.
 Augurium cumulate, Dei, cito flosculus ille
 Exerat optatum vitales culmen in auras,
 Et quot vota facit, totidem mereatur amores.

LUD. TESSIER. Rhetor Veteranus.



LE LYS ET LA GRENADE

FABLE ALLEGORIQUE.

DANS un jardin délicieux
 Dont l'Art & la Nature
 Disputent à l'envi l'honneur de la Culture,
 Croissoit un Lys majestueux,
 Auguste rejetton d'une Tige feconde;
 L'espérance, l'amour & l'ornement du Monde.
 Flore Eprise de ses attraits,
 Pour en reproduire l'image,
 Fit choix d'un autre Lys; tous deux étoient parfaits.
 Même tige à tous deux, mêmes traits & même âge,
 Douceur égale de Feuillage;
 Couple mieux assorti ne se trouva jamais.
 Flore s'applaudissoit; déjà plus d'un présage
 De cet Hymen assuroit le succès;
 Quand parmy les Lauriers dont l'heureux voisinage
 Mettoit leur tête à l'abri de l'orage,
 On vit s'élever un Cyprès,
 Et le Lys étranger périr sous cet ombrage.
 Livrée au plus mortel chagrin,
 Flore aussitôt déplore son destin,

Avec elle dans son Empire,
 Tout languit, se tait, ou soupire,
 Les plus brillantes fleurs ont perdu leurs appas;
 Sur tout le Lys qui reste
 Semble par sa pâleur pancher vers le trépas.
 Flore dans ce moment funeste,
 Le reconnoît à peine; & sent tout son malheur.
 Dans son Empire aurat-elle une fleur
 Digne de réparer sa perte?
 Elle en doutoit: quand à ses yeux surpris
 Une Grenade offerte,
 Etale des appas égaux à ceux du Lys.
 A la Pourpre qui l'environne,
 Se joint l'éclat d'une Couronne
 Que dérobe aux regards un feuillage naissant.
 Mais dont l'Email éblouissant,
 Ennoblit sa simple parure;
 Et de la plus riche nature
 Réunissant tous les attraits
 Aux yeux, du plus beau cœur, exprime tous les traits.
 Sur toutes Fleurs elle auroit l'avantage,
 Mais le Lys avant elle en a reçu l'hommage.
 Flore en les comparant tous deux,
 Les trouve égaux, se partage, balance,
 Et ne sçachant à qui donner la préférence,
 Forme pour les unir les plus aimables nœuds.
 Fassent les Dieux que bien-tôt à la France

Un digne Rejetton soit de cette Alliance.

L'heureux gage & le prix ;

Et pour combler notre espérance ,

Confonde dans les traits d'une aimable nuance ,

L'éclat de la Grenade , & la douceur du Lys.

BARTHELEMY CROISEUIL,

Rhetoricien Veteran.

In eadem Argumenta scripsere cum laude ,

INTER VETERANOS ,

LUDOVICUS LE TOURNEUR.

JOANNES-BAPTISTA L'ONCE.

NICOLAUS DE BOISGRENIER.

MICHAEL-RAPHAEL DE QUERRIEU.

ANDREAS DE CLERIEUX.

GUILLELMUS JAME.

INTER NOVOS.

JOSEPHUS LE ROUX.

JOANNES-BAPTISTA MOIGNARD
DE LA GRANGE.

ANTONIUS DESBRUYERES.

JOANNES-BAPTISTA DE LA RIBELLERIE.

LUDOVICUS DE TAILLEBOURG.

ANTONIUS TURPIN.

PETRUS CARRET.

JOANNES-BAPTISTA FROMENT.

PAULUS DUMESNIL.

JOANNES-BAPTISTA DE LA MARRE.

JACOBUS MARS.

JOANNES-BAPTISTA DE SAINT-MARTIN.

ANTONIUS GRAS.

LUDOVICUS ROUILLE' D'ORFÈUIL.

*Vu l'Approbation, permis d'imprimer. A Paris, le vingt-quatre
Mars mil sept cent quarante-sept. MARVILLE.*

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires &
Imprimeurs de Paris, numero 3151, conformément aux
Règlemens, & notamment à l'Arrêt du Conseil du 10 Juillet
1745. A Paris, le 28 Mars 1747. Signé, CAVELIER, Syndic.